

„provinciae montem ad pastum emisisset, ibidem labruscas
„comedens è vestigio inebriatus est. Quamobrem cæte-
„ra animantia cornibus petere cœpit. Quò comperto Noe
„protinus labruscæ virtutem agnoscens ipsam statim san-
„guine leonis, porci, agni, & simiæ inseruit, per hoc (certè
„nescius) declarans prædictorū 4. animalium in vino ma-
„defactis quandam futuram similitudinem. Quæ postre-
ma Rabbiorum alii plenius sic percensent? Nempe
quum Noæ vineæ ferendæ manum admoveret venisse Sa-
tanam stantemque ante eum dixisse: Quid conferis? Quo
dicente vineam: Retulisse: cui bono? Tum reddidisse
Noën, fructus ejus dulces esse & humidos & siccos, de iis-
que fieri vinum, quod cor hominis lætificet, ut scriptum
invenitur. Hic Satan: age jungamus operas. Cum-
que respondisset Noë: Quod felix faustumque sit, Satan
adduxit agnum eumque occidit sub vite, similiter leonem,
porcum, simiam, stillavitque sanguinem eorum in vine-
am & potavit eam de sanguinibus. Eò indiciò quòd ex
libro *Thanchum* addit *Schat. l. c.* quod antequam homo
bibat de vino, sit instar *agni*, qui nihil quicquam novit &
sicut ovis: si bibat decenter, fortis est ut *Leo* & dicit sibi
similem non esse in mundo, cum bibit plus æquo, *porco*
fit adsimilior qui se inquinat lotio & sordibus: Inebria-
tus similis sit simiæ stanti, saltanti, ludenti, turpe loquen-
ti nec sciat quid faciat. Rursum alii omiſſâ *simiâ* de reli-
quis tribus animalibus eandem narrant fabulam atque ad
exilia tria suæ gentis adplicant, quorum primum sub Æ-
gypti Rege, ut *agno* alterum sub Nebuchadnessaro, ut *le-*
one, tertium sub populis, quos cum *porco* gens impia &
excoecata odio aliorum populorum componit.

§. 13. Missis autem fabulis à scopo præſente ferè alie-
nis, in quaestionem propositam altiùs pro ingenii modulo
descen-